tiantem reſtituendum non eſſe prætextu ſpolii. Primæ difficultati reſpondendum eſt, in ea ſpecie ſupponendam eſſe licentiam ſuperioris, & cum ejus auctoritate beneficium fuiſſe renuntiatum. Pro conciliatione textus *in d. c.* 2. cum *d. c.* 3. dicendum eſt, renuntiationem factam ab ſpoliato non impedire reſtitutionem ex cauſa ſpolii; nam cum renuntiationis exceptio reſpiciat proprietatis judicium, & ſpoliatus ante omnia ſit reſtituendus, *c. ex litteris, de reſt. ſpol. l.* 1. *§. qui a me, ff de vi,* & *in c. oportet* 1. *c. prius* 3 *q.* 1. ideo *in d. c. ſolicite* 2. quia renuntiatio facta fuit poſt ſpolium, non obſtante renuntiationis exceptione reſtituitur ſpoliatus; at vero *in diſt. cap. accepta* 3. renuntiatio facta fuit ante ſpolium; unde merito reſtitutionis remedium denegatur jure directo, contra ſpolii naturam, & favorem, quia beneficiarius, qui antea renuntiaverat, non poteſt probare ſe eſſe ſpoliatum poſſeſſione, quam jam per renuntiationem amiſerat. Docet Navarrus *in d. c. accepta, oppoſit.* 9. Menochius *de recuper. remed.* 15. Valenſis *de beneficiis, d. tit.* 16.

Tandem præſenti aſſertioni adverſatur textus *in capit. ex ore* 3. *de his quæ fiunt a majori parte,* in illis verbis: *Juri ſuo renuntiaſſe videtur.* Ubi abſque ulla ſuperioris licentia renuntiatio præbendæ facta a Canonico Eccleſiæ Cathedralis vires habet: igitur quia ad renuntiationem proprii beneficii non deſideratur ſuperioris auctoritas. Cui difficultati ex ſupra traditis ſatisfaciendum eſt, diſcrimen videlicet conſtituendo inter renuntiationem tacitam, & expreſſam; ad renuntiationem enim tacitam non deſideratur ſuperioris licentia, ſecus vero ad expreſſam: unde cum textus *in diſt. cap. ex ore,* loquatur de renuntiatione tacita, ut agnovit ibi Gloſſa, *verbo Renuntiaſſe;* ideo in ea ſpecie non fuit neceſſaria ſuperioris licentia. 11 Intelligitur c. ex ore 3. de his quæ fiunt a majori.

Etiam ex ſupra traditis interpretari poſſunt textus *in cap. cum veniſſet, de conſuet. cap. eo libentius, de ſervis non ordin. cap. poſt electionem* 7. *de conceſ. preb. bap. ſi electio* 26. *de elect. lib.* 6.

C A P U T V.

a Clemens III.

SUper hoc, quod ſciſcitaris, utrum eccleſiaſtica beneficia repoſcentibus objecta ſpontanea *b* abjurationis exceptio ſine cauſſæ cognitione ſit admittenda; & an actoris, quod ſponte non renuntiavit; an rei de ſpontanea renuntiatione teſtes ſint, & probationes admittendæ? Sic experientiæ tuæ reſpondemus, quod hoc nulla ratio veriſimile reddit, ut beneficio quiſquam, etiam multis laboribus & *c* expenſis acquiſito, a quo ſuſtentari debet, ſine magna cauſa temere ſua ſponte *d* renuntiare elegerit: ideoque ſupervacuum eſſe non credimus, cauſam renuntiationis, vel reſignationis diligenter inquirere, quam ſi forte probabilem, ideſt, non vi, non metu, non oppreſſione, non interventu pecuniæ, non promiſſione exortam judex ordinarius, ſeu delegatus invenerit: & maxime ſi non intervenerit juramentum, quod vix fieri de voluntate ſpontanea propria credimus, quia juramentum ſemper fere a malo eſt, admittere, niſi replicatio canonica fuerit oppoſita, non poſtponat. Porro licet negantis factum per rerum naturam nulla ſit *e* probatio; ejus tamen, qui ſpontaneam renuntiationem negat, cum implicite, & quodammodo replicando inficietur, ſuper aſſertione ſua probationes credimus admittendas: habita nihilominus ad dignitatem opinione & relatione.

N O T Æ.

1 a CLemens III. Ita etiam legitur in ſecunda collectione, ubi *ſub hoc tit. c.* 3. reperitur textus hic; nullibi tamen exprimitur, cui Prælato reſcripſerit Pontifex, nec *in c. ſuper eo, de elect. cap. ſuper eo, de ſimonia, in eadem* 2. *collect.* ubi reperiuntur aliæ partes hujus decretalis.

2 b *Abjurationis.*) Verbo hoc abjurationis, an ſemper comprehendatur renuntiatio juramento firmata, dicemus *in cap. Abbas* 2. *de his quæ vi,* ubi commentarium hujus textus dabimus.

c *Ex expenſis.*) In ſtudiis, & aſſecutione beneficii factis, non vero accipienda ſunt hæc verba de aliqua pecuniæ quantita e pro acquirendo beneficio expenſa. 3

d *Renuntiare.*) Conſonant textus *in cap.* 2. *de reſtit. ſpol. c. quia veriſimile, de præſumpt.* & merito hæc præſumptio a jure inducitur, quia nemo eſt qui facile res ſuas jactet, *l. cum de indebito* 25. *verſ. Sin vero, de probat.* Cironius *ad tit. de procurat.* 4

e *Nulla ſit probatio.*) *Cap. ad noſtram, de probat.* ubi late ſententiam hanc examinabimus. 5

C A P U T VI.

a Cæleſtinus III.

IN præſentia noſtra, &c. *Et infra:* Licet igitur judex non ſemper ad unam ſpeciem probationis applicet mentem ſuam, ſed ex confeſſionibus, depoſitionibus, allegationibus, & aliis, quæ in ejus præſentia proponuntur, firmet animi ſui motum; & tanta ſit judicialis auctoritas, ut ſemper *b* præſumi pro ipſo debeat, donec contra ipſum aliquid legitime comprobetur: quare ſic tu contra Prædictum R. coram prædicto *c* Dulmen. & ejus conjudice nihil penitus probaviſſes, ſtandum tamen ſententiæ fuerat, niſi dictus R. eam oſtenderet irritandam. Quia tamen præter iſta conſtitit de ipſius renuntiatione ſpontanea per quaſdam Epiſcoporum litteras, & confeſſionem ipſius, nos de conſilio f. n. ei ſuper eadem Abbatia ſilentium duximus imponendum.

N O T Æ.

1 a CÆleſtinus III.) Similiter non liquet, nec ex hac, nec ex ſecunda collectione, ubi *ſub hoc tit. c. ult.* reperitur hæc deciſio, cui miſſa ſit; tantum conſtat, eſſe Cæleſtini III. ſeu Clementis III. ut *in d. c. finali* emendatur: & licet ſit ejuſdem Clementis epiſtola relata *in c. in præſentia, de ſponſalibus:* tamen illa miſſa eſt Cæſaraugustano Epiſcopo: & in hoc caſu diſceptatur caſus, qui contingit in Dulmenſi diœceſi; unde non poteſt præſens deciſio ſuppleri *ex diſt. cap. in præſentia.*

b *Præſumi debeat.*) Res enim judicata pro veritate habetur, *c. cum inter* 13. *de re judicata; l. ingenuum* 25. *ff. de ſtatu hominum, l. res judicata* 207. *ff. de reg. juris;* plura Maranta *in ſpeculo* 6. *p. tit. de ſent. n.* 119. Parladorius *l.* 2. *rerum quot. c. ult.* plures referunt Pichard. *in §.* 1. *de off. judicis,* & *in manuduct.* 2. *p. §.* Valentia *t.* 2. *illuſtrium, tr.* 2. *c.* 8. *n.* 1. Unde contra hanc juris præſumptionem non admittitur approbatio in contrarium; plures, & plura Menochius *de præſumpt. l.* 1. *præſumpt.* 61. *n.* 4. & *l.* 4. *præſumpt.* 67. *n.* 47. noſter Amaya *in apolog. pro ſtatuto noſtri celebris Collegii, n.* 44. & nos late tractabimus *in d. c. ad noſtram,* ubi exponemus textus *in l. penult. ff. de his qui ſunt, ſui, l. Julianus* 60. *ff. de condict. indebiti, l.* 3. *§. idem* 3. *ff. de rebus eorum, l. ſi patronus* 12. *§. ſi quis, ff. de bonis libert.*

c *Dulmenſi.*) De quo Epiſcopatu egi *in c. cauſam, de judiciis.*

C A P U T VII.

a Cæleſtinus III.

SAne dilecto filio noſtro I. Presbytero Card. tunc Ap. Sed. Legato nos meminimus injunxiſſe, ut H. Subdiaconum Canonicum in Pictavien. Eccleſia inſtituere procuraret; qui mandatis noſtris obtemperans: ibidem inſtituit in Canonicum Subdiaconum memoratum. Verum vos nec nobis, nec ipſi Cardinali reverentiam exhibentes, quod litteris ſuis de jamdicto H. idem Card. injunxit vobis, adimplere minime curaviſtis, nec etiam curationem ipſius in aliquo obſervare. Poſtmodum idem H. quorumdam veſtrum ductus conſilio, litteras ſuas vobis reddens, veſtræ miſericordiæ ſe ſubjecit: qui cum crederet apud vos miſericordiam impetraſſe, vobis ſatisfaciens in hac parte, inde damnum cogitur ſuſtinere, unde gratiam & præmium meruit reportare. Nolentes igitur, quod de ſæpedicto H. tam a prædeceſſoribus noſtris, quam a nobis inchoatum eſt, aliquatenus relinquere imperfectum, mandamus, &c. Quia vero unde miſericordiam debuit impetrare, inde cogitur diſpendium ſuſtinere: mandamus quatenus (hoc non obſtante) ipſum in fratrem & Canonicum *b* admittatis.

NOTÆ.

BIBLIOTECA CENTRAL

N O T Æ.

1 a CÆleſtinus III.) Ita etiam legitur *in c.* 1. *de major. & obed. in* 2. *collect.* & licet nec ibi, nec in præſenti referatur, cui miſſa ſit hæc deciſio, tamen facile credi poteſt, miſſam eſſe Capitulo Pictavenſi, ut ex textus littera colligitur.

2 b *Admittatis.*) Licet inter modos, quibus reſcripta finiuntur, ille præcipuus enumeretur, qui per renuntiationem eorum tacite, & expreſſe factam contingit, *cap. ad audientiam* 31. *de reſcriptis,* ubi Petrus Greg. & *li.* 1. *de reſcriptis, c.* 8. tamen in hoc textu renuntiatio gratiæ facta non fuit animo deſerendi ipſam præbendam, quam jam habebat, nec etiam privandi ſe gratia reſcripti, ſed potius ut conſequeretur gratiam ipſius Capituli: unde licet ob renuntiationem litterarum regulariter privetur quis earum commodo, tamen in præſenti non amittit jus, quod habebat ad beneficium.

C A P U T VIII.

Innocentius III. a *Nidroſien. Archiepiſcopo.*

QUod in dubiis noſtro poſtulas certificari reſcripto, ut juxta illud tuæ diſcretionis arbitrium modereris, fraternitatem tuam dignis in Domino laudibus commendamus. Sane conſuluit nos tua fraternitas, utrum altare, in quo excommunicatus divina celebrare præſumpſit, reconſecrari debeat, & an ſit communicandum excommunicato, qui quod ſtaret mandato Eccleſiæ, juratoriam præſtitit cautionem, ſed nondum abſolutionis beneficium eſt adeptus: Et ſi excommunicato communicare aliquis, & qui etiam tenentur? Quæſivit etiam, quæ pœna his fuerit injungenda, qui excommunicatis volentes communicant, vel inviti? & quid de Presbyteris ſit agendum, qui gubernant naves ad pugnam & pugnant; & his, qui alios incitant, ſed non pugnant? Ad hæc autem fraternitati tuæ taliter reſpondemus, quod nec altare, in quo excommunicatus celebrat (niſi aliud interveniat) conſecrari; nec excommunicato, licet quod ſtet mandato Eccleſiæ juramento firmarit, communicar debet, donec fuerit per Eccleſiam abſolutus, alioquin poſt juramentum non eſſet abſolutio neceſſaria. Utrum autem ſi abſolutionis beneficium non contemptus religionis, ſed articulus neceſſitatis excluſerit, tali vel ſaltem in morte communicare ſit licitum, quia minime per tuas litteras requiſiſti, ad præſens non duximus reſpondendum. Nullus autem omnino nominatim excommunicato ſcienter communicare tenetur, niſi quædam perſonæ, quæ per illud Gregorii Papæ capitulum, *Quoniam multos,* ſpecialiter excuſantur. Illi qui nominatim excommunicatis præſumptuoſe participant, præter perſonas dicto Canone denotatas, niſi ab eorum participatione commoniti forte deſtiterint, excommunicationis ſunt vinculo innodandi: ſecus autem ſi ei communicant ſcienter, qui cum participibus ſuis eſt vinculo excommunicationis innodatus; tunc enim & ipſi ſententiam excommunicationis incurrunt: Quia vero tam Sacerdotes, qui gubernant naves ad pugnam, quam qui perſonaliter exercent pugnæ conflictum, & hi, qui alios incitant ad pugnandum, omnes quidem enormiter peccant, de rigore Canonum credimus deponendos. Hi præterea, qui beneficium eccleſiaſticum ſibi collatum *b* ſponte in manum laicam reſignantes, illud denuo a *c* laico ſuſceperunt, eodem ſunt beneficio *d* ſpoliandi, licet reſignatio talium facta laico nullam obtineat firmitatem. Altare vero, in quo tabula, cui conſecrationis benedictio Pontificali miniſterio adhibetur, mota fuerit, vel enormiter fracta, debet non immerito conſecrari. Nec negamus, quin oleum non conſecratum conſecrato poſſit oleo commiſceri. Clerici autem qui excommunicati, vel ab excommunicatis ſcienter ad Ordines ſunt promoti, debent ab Ordine ſic ſuſcepto deponi. Datum apud Civitatem Caſtellam VI. Idus Octobris.

N O T Æ.

1 a NIdroſienſi.) Ita legitur in tertia collectione, *ſub hoc tit. c.* 1. & in ipſo codice epiſtolarum Innocentii Coloniæ edito, *fol.* 190. ex quo integram epiſtolam reſtituo, quæ in partes diviſa extat *in c. quod in dubiis, de conſecr. Eccleſ. c. quod in dubiis, de pœnis, cap. quod in dubiis, de ſent. excomm.* Nidroſienſis Archiepiſcopalis Eccleſia eſt in Regno Norvegiæ, in Europa Septemtrionali: ejus mentio fit *in c. ſacris, de his quæ vi in c. ſacris, de ſepulturis, c. ſacris, de ſentent. excom.* & apud Innocentium III. *l.* 2. *ep.* 73.

b *Sponte.*) Alias ſi vi, aut metu renuntiatio facta eſſet, non privaretur beneficio renuntians, *c. Abbas,* ubi late dicemus, *de his quæ vi.*

c *A laico.*) Quod ſub graviſſimis pœnis jam a primis Eccleſiæ temporibus prohibitum fuiſſe, late probavi *in c. quiſquis* 43. *de electione.*

2 d *Spoliandi.*) Non quia renuntiatio abſque ſuperioris licentia facta vires obtineret, ſed in pœnam renuntiationis in manibus laici factæ, ut expoſui *in cap. admonet hoc tit.* Certum eſt autem, clericum beneficio renuntiantem in manu laici, illud non amittere, juxta tradita *in c. Admonet hoc tit.* Nam ſicut in adeptione beneficii, ultra laici patroni conſenſum deſideramus inſtitutionem Epiſcopi, ut probavimus *in c.* 9 *de jurepatron.* ita in ceſſione deſideratur ſuperioris, hoc eſt Epiſcopi inſtituentis auctoritas. Nec ſufficit patroni licentia; imo clericus in manu ejus beneficio renuntians, nihil agit, ut illud amittat, ſicut alias *nihil agere* ſignificat *in §. finitur, de uſufructu,* & apud Ulpianum *tit.* 1. docuerunt Franc. Florens, & Alteſerra *ad hunc textum* Joan. Coſta *ad hunc tit.* Nec contrarium deciditur in præſenti textu; nam in ejus ſpecie clericus, qui renuntiavit beneficium in manu laici, illo privatur non quia renuntiavit, ſed quia auſus fuit iterum illud accipere ipſius laici manu, contra ſacros Canones, quos retuli *in c. quiſquis, de elect.* Nec etiam contrarium docetur *in c. Goſtaldus* 18. *qu.* 2. Nam etiam in ejus caſu renuntiatio non fuit facta in manu Patroni laici, ſed coram advocato, ſeu defenſore Eccleſiæ, qui pro laico non habetur, ut conſtat *ex c. Salvator* 1. *qu.* 3. *c. Præterea, c. Cum autem, de jurepatr.* ubi de ejus officio agemus.

C A P U T IX.

Idem a *Eboracenſi Archiepiſcopo.*

AD ſupplicationem inſtantem ven. f. n. Archiepiſcopi *b* Raguſinen. eum a cura, & ſolicitudine, qua tenebatur, Eccleſiæ Raguſinen. duximus abſolvendum, eo videlicet, quod ibi non poterat ſecure *c* morari; & ſi acceſſiſſet haberet ad illam, mortis ſibi periculum imminebat. *Et infra:* Ne vero idem Archiepiſcopus in vituperium miniſterii noſtri defectum in rebus temporalibus patiatur, f. t. mon. attentius, ac per A. ſ. m. quat. beneficium, quod de munificentia, & *d* liberalitate chariſſimi in Chriſto fil. n. *e* I. Regis Anglorum Illuſt. a conceſſione tua in Epiſcopatu *f* Karleoli, & Eccleſia de Malebor eſt illi collatum, ad *g* ſuſtentationem conſerves ipſius. Nos etenim de Sedis Ap. benignitate conceſſimus, ut in Epiſcopatu abſque *h* uſu pallii officium Epiſcopale valeat exercere; tibi tamquam Metropolitano reverentiam, & obedientiam impenſurus.

N O T Æ.

1 a EBoracenſi.) De hac Eccleſia Archiepiſcopali egi *in cap. inter cetera, de reſcriptis.*

2 b *Raguſinen.*) Archiepiſcopatus Raguſinenſis ſex habet Eccleſias ſuffraganeas in fine Apuliæ, ut refert Barboſa *in ſerie Epiſcopatuum, p.* 1. *de poteſt. Epiſc.*

3 c *Secure morari.*) Aut propter aeris intemperiem, aut ob perſecutionem plebis, ut *in c. quorumdam,* 74. *diſt. cap. bonæ, de elect.* quæ ſunt juſtæ cauſæ renuntiationis, *c. niſi, hoc tit.*

4 d *Liberalitate.*) In Regno enim Angliæ, ex jure regaliæ ad Regem ſpectat electio in præbendis, & beneficiis eccleſiaſticis, *c. cum inter, de conſuet.* probat Boetius Epon. *t.* 1. *qq. tit. de regalibus, n.* 10.

5 e *I.*) Joannis videlicet, qui fuit frater Richardi, & filius Henrici II. Sceptrum Anglicanum tenuit ex anno 1199. uſque ad annum 1216. Eum nemo ex Catholicis Scriptoribus laudat, propterea quod noſtro Innocentio III. in electione Archiepiſcopi Cantuarienſis maxime reſtiterit: de eo, & ejus tempore geſtis, agit Richardus Smitheus *in florib. Angliæ, c.* 7. *ſect.* 1. *fol.* 270.

f *Karleoli.*) Karleona inter Metropoles a peritioribus rerum Britannicarum Scriptoribus enumeratur. Beda *l.* 2. *hiſtoriæ Angliæ, c.* 2. Carolus a S. Paulo *in Geographia ſacra, pag.* 163. Poſtea ut ſuffraganea Eboracenſi Eccleſiæ paruit. In eadem Metropoli eſt Eccleſia de Mailros, quo modo legendum eſt in præſenti, non *Malebor,* ut conſtat ex D. Bernardo *in vita Malachiæ, c.* 10. Ejus mentio fit *in c. cum veniſſent, de inſtit.* apud Hoveden. *in Henrico primo.* Eccleſia vero, quæ in præſenti vocatur *de Malebor,* ſita eſt in diœceſi Eboracenſi, & vocatur Mailros, ut conſtat ex D. Bernardo *in vita Malac. c.* 10. & Beda *l.* 3. *hiſt. c.* 26. ibi: „ Porro fratribus, qui in „ Lindisfarnenſi Eccleſia, Scotis abeuntibus, remanere ma- „ luerunt, Præpoſitus eſt Abbatis jure vir Reverendiſſimus, „ 6

„ ac

„ ac manſuetiſſimus Eata, qui erat Abbas in Monaſterio, „ quod vocatur Mailros. *Et idem* lib. 4. cap. 27. Intravit „ autem primo Monaſterium Mailros, quod in ripa Tuedi „ fluminis poſitum, tunc Abbas Eata, vir omnium manſuetiſſimis regebat. “

g *Suſtentationem.*) Et ſic in hoc caſu dantur duo Epiſcopi in una Eccleſia. Alios caſus huic ſimiles enumerabimus *in c. quoniam* 14. *de offic. ord.* 7

h *Uſu pallii.*) Hæc verba expoſuimus *in c. ad honorem, de auctorit. & uſu pallii.* 8

BIBLIOTECA CENTRAL

C A P U T X.

Idem *Archiep.* a *Calaritano*.

NIſi cum pridem in officio paſtorali ad divinum ſervitium acceſſiſti, præparaſſe te ad tentationem animum crederemus, ac prævidiſſe prudenter, nequaquam in humana fragilitate conſentire, varios anguſtiarum languores, quos in ipſo ſciebas officio perpeſſurum, non poſſe abſque magno Dei adjutorio ſuſtinere, formidaremus utique ne parvulos tuos poſtmodum ad petram allidere neglexiſſes, eoſque tantum in te permiſeris invaleſcere, ut ipſorum ſuggerentium tibi ſuſcepti miniſterii ceſſionem inſtantiæ vix jam valeas repugnare. Verum quoniam, ſicut credimus, cum te ſcires contra ſpirituales nequitias pugnaturum, armaturam Dei, qua poſſes ſtare contra inſidias tentatoris, ab Apoſtolo monitus induiſti, & inexpertus non ignoraſti ſollicitudinis anguſtias paſtoralis, quas forſitan expertus abhorres: neſcimus, cur tam inſtanter ſuſceptum velis regimen inutiliter derelinquere, quod ſuſceptum utiliter non deberes uſquequaque irritare. Si enim in hujuſmodi ceſſione frugem tibi melioris vitæ promittis, ſcire te debes non eſſe ſanctificato in utero ſanctiorem: & ideo non oportet te prædicationis deſerere miniſterium, cum ille, cujus fieri bajulus recuſabat, tandem prædicando receperit verbum Dei. Quod ſi forſan humilitatis cauſa de culmine quæris Pontificali deſcendere, ac contra ſuperni nutus arbitrium, datum tibi per illud in terris deſerere Præſulatum; eo ipſo videris humilitatis erigere male verticem, quo te nimis in reſignandi propoſito exhibes pertinacem: quia tunc in te veram humilitatem cuſtodies, cum per eam locum ſublimem ſugies, & per obedientiam non dimittes. Intueri te itaque, v. f. n. in Chriſto, volumus, quod hæc ſunt illa, per quæ cedendi Epiſcopus officio paſtorali licentiam poſtulare poteſt: conſcientia criminum, debilitas corporis, defectus ſcientiæ, malitia plebis, irregularitaſque perſonæ. Sed in his omnibus eſt adhibenda diſcretio, & obſervanda cautela. Propter conſcientiam enim criminis cedendi paſtorali officio poteſt licentia poſtulari, & forſitan non cujuslibet, ſed dumtaxat illius, propter quod ipſius officii executio poſt peractam etiam pœnitentiam impeditur. Cum enim quacumque hora peccator converſus fuerit, omnium iniquitatum ſuarum non recordari ſe Dominus fateatur, & neminem eſſe ſine peccato, ſacra Scriptura teſtetur; apparet quod non pro cujuslibet criminis conſcientia quemquam cedere oporteat officio paſtorali. Cum, ſi omnes quos arguit conſcientia cujuslibet culpæ, cederunt, pauci, vel nulli forſitan in illo miniſterio remanerent. In multis enim offendimus omnes; & ſi dixerimus, quia peccatum non habemus, nos ipſos ſeducimus, & veritas in nobis non eſt: quia miſericordia illum excuſat; qui miſerabiliter ſe accuſat. Debilitas vero corporis cauſſa eſt, propter quam petere poteſt aliquis ab honore ſolicitudinis paſtoralis abſolvi, quæ videlicet vel ex infirmitate, vel ex ſenectute procedit; nec tamen omnes, ſed illa ſolummodo, per quam impotens redditur ad exequendum officium paſtoralem. Nam ſi pro qualibet corporali debilitate ſuſceptæ ſervitutis officium poſſet deſeri, fruſtra ſe fateretur Apoſtolus in ſuis infirmitatibus gloriari. Et ſenectute gravatus, a cura ſe non debet quiſpiam omnino paſtoralis regiminis excuſare; cum interdum non plus hortetur ſenilis debilitas eum cedere, quam moralis maturitas, quæ in ſenibus eſſe ſolet, ipſum in ſuo ſuadet officio permanere. Pro talibus enim de ſe dicit Apoſtolus: Cum infirmor, tunc fortior ſum; quia nonnunquam infirmitas corporis fortitudinem cordis augmentat. Pro defectu quoque ſcientiæ plerumque poteſt quis paſtoralis officii petere ceſſionem; quia cum ipſa circa ſpiritualium adminiſtrationem ſit potiſſimum neceſſaria, & circa curam temporalium opportuna: Præſul qui commiſſam ſibi debet Eccleſiam regere, in utriſque ſalubrius ejus regimini abrenuntiat, ſi ſcientiam, in qua ipſam regat, ignorat. Quoniam, cum ſubjectos docere habeat, quid facere debeant, quid cavere: nec bene docebit eos, quod neſcierit ipſe, fugere; nec illud, quod ignoraverit, exercere. Tu enim, inquit Dominus, ſcientiam repuliſti, & ego te repellam ne ſacerdotio fungaris mihi. Quamquam etſi deſideranda ſit eminens ſcientia in Paſtore, in eo tamen ſit competens toleranda; quia ſecundum Apoſtolum ſcientia inflat, charitas autem ædificat; & ideo imperfectum ſcientiæ ſupplere poteſt perfectio charitatis. Propter malitiam quoque plebis cogitur interdum Prælatus ab ipſius regimine declinare, & quando plebs adeo duræ cervicis exiſtit, & in rebellione ſua ita pertinax invenitur, ut proficere nequeat apud ipſam, ſed propter ejus duritiam, quo magis ſatagit, eo magis juſto judicio deficere permittitur, dicente Domino per Prophetam: Linguam tuam adhærere faciam palato tuo, quia domus exaſperans eſt. Et Apoſtoli dixiſſe leguntur Judæis: Ecce convertimur ad Gentes, quia vos feciſtis indignos. Non tamen pro qualibet culpa Paſtor debet deſerere gregem ſuum, ne forte mercenario comparetur, qui vidit lupum venientem, & fugit; ſed de ſuperioris licentia tunc demum poteſt non tam timide fugere, quam provide declinare, cum oves convertuntur in lupos, & qui debuerant humiliter obedire, jam irrevocabiliter contradicunt. Cum etſi tales ſint graviter pro crimine puniendi, ſunt tamen pro tempore utiliter tolerandi, quia ſanguinem elicit, qui nimis emungit. Et pro gravi quoque ſcandalo evitando, cum aliter ſedari non poteſt, licet Epiſcopo petere ceſſionem, ne plus temporalem honorem, quam æternam videatur affectare ſalutem, memor illius quod dicit Apoſtolus: Si eſca ſcandalizaverit fratrem tuum, non manducabo carnem in æternum, ne fratrem tuum ſcandalizem. Sed inter ſcandalum, & ſcandalum eſt ſubtiliter diſtinguendum, ſicut Dominus ipſe diſtinguit: cui cum dixiſſent Apoſtoli. Scis quia Phariſæi audito hoc verbo ſcandalizantur, reſpondit: Sinite, cæci ſunt, & duces cæcorum. Alibi vero dicit: Qui ſcandalizaverit unum de puſillis iſtis, qui in me credunt, expedit ei, ut ſuſpendatur mola aſinaria in collo ejus, & demergatur in profundum: nam etſi neceſſe fuerit, ut ſcandala veniant, væ tamen homini illi, per quem ſcandalum venit. Perſonæ vero irregularitas, ut ſi forte ſit bigamus, viduæque maritus, eſt cauſſa, propter quam licentiam petere poteſt aliquis reſignandi Pontificis dignitatem, Apoſtolo atteſtante, qui dicit: Oportet Epiſcopum eſſe unius uxoris virum. Non tamen propter quamlibet irregularitatem perſonæ debet ei, qui regulariter miniſtravit, cedendi licentia indulgeri, utpote ſi de legitimo matrimonio non ſit natus: quia licet irregularitatem hujuſmodi non poterit ſubticere, ſi tamen culpa latet, & cauſſa, cum eo, qui laudabiliter ſuum implevit officium, injuncta ſibi pœnitentia competenti, poteſt non minus utiliter, quam miſericorditer diſpenſari. Ego ſum, inquit, Deus zelotes, viſitans peccata patrum in filios uſque in tertiam & quartam generationem, in iis, qui oderunt me, ideſt, in illis, qui contra me paternum odium imitantur. Unde patet, quod illis, qui paterna vitia non ſequuntur propriæ poſſunt in talibus ſuffragari virtutes, illo diſcretiones adhibito moderamine, ut inter nothos, manceres, naturales, & ſpurios diſtinguatur. Cum autem vitia plerumque ſe virtutes eſſe mentiantur, ſubtiliter advertere te oportet, utrum reſignandi propoſitum, quod tam ferventer geſtas in pectore, dignum ſit Dei odio, vel amore. Si enim propter cauſſam aliquam præmiſſarum cedere poſtulares, tam ſuper cauſſa, quam ſuper ejus affectu pariter doleremus; ſed ne provide pietatis amictu ad reſignandum deteſtabilius impietas te impellat, conſiderare te volumus, & alias eſſe cauſſas, per quas male quis petit, & pejus appetit officium hujuſmodi reſignare. Si enim ex puſillanimitate, fortaſſis ut laborem deponat, vel perſecutionem effugiat; aut ex vanitate, quod abſit, ut plenius vacet otiis, ſeu liberius indulgeat voluptatibus, curam vult aliquis deſerere paſtoralem, ab ea non meretur abſolvi; quamvis per hujuſmodi vanitatem, tamquam qui mortaliter peccat, ea ſe reddat indignum: ſed ſatagere debet, ut vanitate depoſita ſatisfaciat de peccato. Aliam vero cedendi cauſſam omnino credimus deteſtandam, ſi quis aut a Pontificali velit deſcendere dignitate, ut gloriam captet humanam, tamquam eligat abjectus eſſe in domo Domini, magis quam habitare in tabernaculis peccatorum, vel ut mundanum non amittat favorem, quem per hypocriſim acquiſivit; ſive quod ejus ſimulatio revelari jam incipit, ſive quod fervor ipſius ex qualibet cauſſa tepeſcit, nec vult videri quod malus fuerit, aut quod fiat; & ideo ſub religionis pretextu ſuam vult contegere pravitatem, ut quaſi deſerens Martham, amplexetur Mariam, & Liæ faſtidiens lippitudinem, Rachelis pulchritudinem concupiſcat. Quid autem ſi propterea velit cedere, quod tempore pro-

re proſperitatis, arridente fortuna viſus eſt laudabiliter miniſtrare, quoniam omnia ſibi proſpere ſuccedebant; ſed adverſitatis tempore imminente veretur, ne ſi quolibet caſu ſiniſtra contingant, illius negligentiæ imputentur. Plane ſi propter hoc petit cedere, nautæ ſe poterat improvido comparare, qui cum mari ſub tranquillitate jacente cum multo labore navis exercuerit gubernaculum, ipſam tempore neceſſitatis deſerit, & devenire patitur in profundum. Illam quoque cedendi cauſſam penitus deteſtamur, ſi forte cedere velit Epiſcopus, ut alter ſibi ſuccedat, vel obtentu pretii, vel affectu carnali, vel ut cum pejor ſibi ſucceſſerit, ipſe velut optimus extollatur. Illud autem quaſi nefas reſpuimus, & damnamus, quod Epiſcopus propter occupationes mundanas, & ſolicitudines ſæculares non valeat ſine crimine Pontificale officium exercere; cum multos ſanctos Eccleſia veneretur, qui ſpiritualia ſimul, & temporalia miniſtrarunt. Veruntamen læva debet eſſe ſub capite, & dextera in amplexu. Sed illud te volumus advertere diligenter, ne forte per hoc tuæ depoſitionis propoſitum effici velis ex illis, de quibus dicitur per Prophetam: Filii Ephrem intendentes arcum, & mittentes ſagittas ſuas, converſi ſunt in die belli; cum potius pro domo Iſrael murum te debeas opponere aſcendentibus ex adverſo: quia juxta ſententiam Veritatis, non qui inceperit, ſed qui perfecerit, ſalvus erit; cavens attente, ne maculam in gloria tua ponas, non ſolum apud homines, ſed etiam apud Deum, quoniam ſub hoc pallio te non poteris occultare, nedum apud Deum, qui renes rimatur, & corda; ſed nec etiam apud homines, qui ex veriſimilibus conjecturis talia ſuſpicantur. Illudque prudenter attendas, quod juxta ſententiam Sapientis, ſpiritus diſciplinæ effugiet fictum, & auferet ſe a cogitationibus, quæ ſine intellectu conſiſtunt. Si vero pro tuenda Eccleſiæ libertate difficultatis onus incurrere pertimeſcis: non ideo deſerere debes Præſulatus honorem, conſiderans diligenter, ne forte juſto judicio tenteris ab illo, qui malorum eſt intentator; ut probetur, utrum ſatisfacere velis in eo, in quo deliquiſti: qui vero contemnit, ac negligit ſatisfacere pro delicto, theſaurizat ſibi iram in die iræ, cum revelabit Dominus abſcondita tenebrarum. Ecce quidem admonuimus te, ut te ipſum contempleris, in ipſo tuam conſcientiam percuctanter agnoſcas, ex qua cauſa cedendi licentiam poſtulares importune. Nos enim (novit Altiſſimus) ignoramus, quare in cedendi propoſito perſeveres; quoniam nec infirmitas corporis, nec longævitas temporis, nec defectus ſcientiæ, nec malitia plebis, nec perſonæ irregularitas te reddit ineptum, neque conſcientiam ſævi criminis te fateris habere. Verum ſi propter alias cauſas ceſſionem affectes, non eſt in hoc poſtulanti favendum, cum hujuſmodi poſtulatio videatur non eſſe diſcreta. Quoniam, ut id tamquam notiſſimum omittamus, quod otioſitas & voluptas arma ſunt hoſtis antiqui, ad miſeras animas captivandas; propter laboris anguſtias, aut perſecutionis incurſus non debes deſerere ſponſam tuam, cui te fide media copulaſti; ſciens quod beati ſunt illi, qui perſecutionem patiuntur propter juſtitiam, quoniam cum probati fuerint, accipient coronam vitæ, quam repromiſit Deus diligentibus ſe. Sed dices, quod ſpiritus, ubi vult, ſpirat; & neſcis unde veniat, aut quo vadat: & ideo non eſt, qui poſſit vias illius ſpiritus perſcrutari. Qui vero ſpiritu Dei aguntur, non ſunt ſub lege, quoniam ubi ſpiritus Dei, ibi libertas. Quare ſi cedendi tibi licentia ab homine data non fuerit, nihilominus tamen cedes, quia data eſt tibi cedendi poteſtas a Deo. Certe deſipis, ſi ſic ſapis; nam quomodo ſpiritu Dei aguntur, qui contra ſpiritum Dei agunt? Si enim vera ſunt, quæ præmiſimus, imo quia indubitanter ſunt vera; proculdubio contra ſpiritum Dei agit, qui aliquid horum contra veritatem attentat: quoniam ipſe eſt ſpiritus veritatis. Porro ſi dicas, quod forſan eſt alia latens cauſa, propter quam cedendi voluntas tibi cælitus inſpiratur: & nos ſic quidem reſpondemus: Tu quomodo ſcis, quod talis inſpiratio ſit cæleſtis? nonne recolis, quod ille glorioſus Pontifex dixerit, cum cœpiſſet viribus corporis repente deſtitui: Domine ſi adhuc populo tuo ſum neceſſarius, non recuſo laborem, fiat voluntas tua, illius exemplum ſecutus, qui dixerat: Cupio diſſolvi, & eſſe cum Chriſto; manere autem in carne neceſſarium eſt propter vos. Quia igitur diverſas tibi cauſas ſuper hac cauſa diſtinximus, & propter quam earum cedere deſideres, ignoramus, te ipſum tibi duximus committendum, ut de propriæ mentis tribunali te judicans, videas ſi ſic poſſis reſignandi deſiderio ſatisfacere, ut gregis tibi commiſſi curam ſine culpa valeas declinare: ſi enim cedendo proficere appetis tibi ſoli, profectui tuo ſine dubio tantum ſubtrahis, quantum quod impendere poteras aliis, non impendis. Quia tunc majora animæ tuæ lucra conquireres, cum ſine tua ſalute ſalutem plurium procurares: potioris eſt enim meriti ſe cum Deo quemquam lucrifacere, quam ſalutem propriam quærere ſine illis, quorum ſalus ad ejus curam noſcitur pertinere. Quippe ſi quantumcumque virtutum flore refulgeas, & in te non habeas charitatem, nihil comprobaris habere. Sub quo virtutis prætextu deponere quæris onus ſollicitudinis paſtoralis, quod vix poteſt abſque jactura deſeri charitatis? Nulla ſiquidem major poterit eſſe charitas, quam ut animam ponat quis pro amicis ſuis. Cum autem propter hanc te deceat animam tuam pro ſubditis tuis ponere, nulla occaſione, dummodo proficere ipſis poſſis, etſi non omnibus, tamen multis, ab eorum regimine te convenit excuſare. Quoniam ſi laboris cauſam prætendis, exemplum te Apoſtoli ſublevabit, qui ſuadet tibi laborem hujuſmodi non refugere, dum ſe aſſerit pro communi ſalute plus ceteris laboraſſe. Quia licet non ſequatur ſemper laborem effectus, nihilominus tamen ipſe labor meritorius eſt apud Deum, juxta quod legitur: Reddet *b* Deus mercedem laborum ſanctorum ſuorum. Sed eſto, quod multum hactenus laboraveris, & bonum certamen certaveris, cum eodem Apoſtolo poſſis dicere; tamen ut corona tibi juſtitiæ de reliquo reponatur, curſum te decet perfecti operis conſummare: quamtumlibet enim in anguſtiarum laboribus, qui comitantur officium paſtorale, noctes tibi laborioſas enumeras, & tamquam fatigatus cervus umbram quietis affectes; quamtumlibet inter viæ calores, & anguſtias, patriæ dilectione traharis: & velut emeritus mercenarius operis tui finem anxius præſtoleris: expendit tibi tamen virtutem in infirmitate perficere, ac pugnam tuam perſeverantia coronare. Scienſque, quod apud extraneum defixeris manum tuam, cum animas tibi commiſſi gregis in tuam animam ſuſcepiſti, non ſic debes tibi portum quietis appetere, ut navigantes hactenus tecum filios ſine remigis adjutorio patiaris in hoc mari magno, & ſpatioſo cum timore naufragii fluctuare. Nec putes, quod ideo Martha malam partem elegerit, quæ circa plurima ſatagebat, quia Maria optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea. Quoniam illa magis licet ſit ſecura, iſta tamen magis eſt fructifera: & licet illa magis ſit ſuavis, iſta tamen magis eſt utilis; cum in fœcunditate ſobolis lippitudo Liæ Rachelis pulchritudini ſit prælata: quamvis ſimul in unum, & contemplativus eſſe valeas, & activus, legiſlatoris exemplo qui nunc aſcendebat in montem, ut ibi gloriam Domini cum majori cerneret libertate; nunc vero deſcendebat in caſtra, ut cum utilitate neceſſitatibus populi provideret. Quapropter facilius indulgetur, ut monachus ad Præſulatum aſcendat, quam Præſul ad monachatum deſcendat. Monemus ergo f. t. & exhortamur attentius, per A. ſ. m. quat. illam vocem Davidicæ imprecationis abhorrens, tibique formidans eam per effectum operis adaptari, quæ dies impii paucos fieri, ut Epiſcopatum ejus alter accipiat, imprecatur, laborem paſtoralis regiminis non recuſes, jactans in Domino tuum cogitatum, nihil contra voluntatem Altiſſimi ſtatuas de te ipſo, qui cum te viderit eſſe populo ſuo neceſſarium, forte grave ferret, cum ipſum a te contingeret eſſe neglectum; ac fortaſſis ad pedes ſuos cum Maria ſperneret te recipere, qui ſibi apud te diverrenti ſpreviſſes cum Martha ſolicite miniſtrare. Illud quoque te debet fortius in miniſtrandi propoſito ſtabilire, quia cum hactenus in Eccleſia tibi commiſſa laudabiliter miniſtraveris, ſi (quod abſit) alius te cedente minus utilis aſſumeretur ad ipſam, profecto non parum ab illa quiete, quam appetis, turbareris, cum ubi bene tuum exercueris miniſterium, non abſque dolore cerneres inutilis miniſtri defectum: fieretque ut tantum in contemplationis arte tibi deperiſſe agnoſceres, quantum Eccleſiæ, cui præſides, non ſine tua confuſione per te ſubtractum eſſe videres. Quia vero tam per te, quam per nuntios, & litteras tuas, jam nimis in poſtulando cedendi licentiam inſtitiſti, ecce te tibi duximus reliquendum, ut diſtinctis tibi cauſis, propter quas cedere oporteat, vel non cedere; ſi propter aliquam cauſam utilem, & honeſtam in hujuſmodi propoſito perſeveres, de licentia noſtra cedas: quod tamen grave nobis plurimum eſſe noveris, & moleſtum; alioquin cedendi licentiam auctoritate Ap. tibi ſcias eſſe penitus interdictam, quoniam etſi pennas habeas, quibus ſatagas in ſolitudinem avolare; ita tamen aſtrictæ ſunt nexibus præceptorum, ut liberum non habeas abſque noſtra permiſſione volatum. Quod ſi denique tua voluntas te impulerit ad volandum, volumus, & mandamus, ut noſtras litteras in audientia tui Capituli facias recitari.

1 N O T Æ.

a CAlaritan.) Ita etiam legitur in tertia collectione, *ſub hoc tit. c.* 4. De Metropoli Calaritana Sardiniæ jam nonnulla notavi *in c. finali, de poſtul. Prælat.*

b *Reddet Deus.*) *Sapientiæ c.* 10. Etſi Calvinus, ac ceteri ejuſdem farinæ negaverint, librum hunc Sapientiæ authenticum eſſe; rectius tamen contrarium probarunt D. Clemens *ep.* 1. & *l.* 6. *conſtit. c.* 29. S. Dionyſius Areopag. *l. de divinis nomin.* 2

tomin. c. 4. & *de eccl. hierarchia c.* 2. Ægeſippus *l.* 5. *hiſtor. eccl.* S. Juſtinus Martyr *in dialogo cum Triphon.* S. Iræneus *l.* 5. Clemens Alex. *l.* 5. *ſtrom. c.* 6. S. Hippolytus martyr. *in Cantica*, Origenes *homilia* 11. *in Levit.* Tertulian. *de præſcript. c.* 7. & alii plures, quos refert Nicolaus Romæus *in effigie Calvini, color.* 62.

COMMENTARIUM.

IN præſenti textus refertur epiſtola Innocentii III. quæ reperitur *l.* 9. *epiſtolarum ipſius, ep.* 68. cum enim anno 1206. ut in eo refert Spondanus poſt Baronium, Archiepiſcopus Calaritanus enixe petiiſſet ab ipſo cedendi licentiam, ipſe fuſe illi reſcribit, & numerat cauſas, ob quas Epiſcopatus renunciatio fieri valet: & inter eas primam recenſet conſcientiam criminis, cujus exemplum præbet Potamius Epiſcopus Bracharenſis, qui cum tactu femineo ſe polluiſſet, in Concilio Tolet. 1. oblato Patribus libello crimen ſuum ſponte confeſſus eſt, ac ſe Epiſcopatu abdicavit, ut refertur in actis ipſius Concilii. Quam cauſſam renunciationis explicant Hoſtienſis *in ſumma ad hunc titulum*, & alii relati a Barboſa *in præſenti, n.* 3. Secundam cauſam petit Innocentius ex debilitate corporis, ex infirmitate, & ſenectute, ita ut negotiorum in dies emergentium nimia frequentia cedens opprimatur; quæ cauſa impulit Synodum Pamphiliæ, ut Euſtachii Metropolitani ſui reſignationem admitteret, in cujus locum ſuffectus eſt Theodorus, ut conſtat ex epiſtola Synodi Epheſinæ ad Synodum Pamphiliæ. Tertiam cauſam renunciationis aſſignat Innocentius propter defectum ſcientiæ, quam probavimus *in c. cum in cunctis* 7. *de elect.* Quartam cauſam deducit Innocentius ex malitia plebis, quæ etiam recenſetur *in c. ſi quis Epiſcopus, c. ſi quis ordinatus*, 92. *d. c. ſupplicationem, hoc tit.* & contingit, cum nullus fructus ſperatur in populo, ut exponit Benedictus Ephetnus *in vita S. Benedicti, c.* 3. *nu.* 10. & variis exemplis illuſtrari poteſt. Aletius Epiſcopus Armeniæ Eccleſiam ſuam deſerit ob plebis malitiam, ut refert Theodoretus *l.* 2. *hiſt. c.* 31, Refert quoque Sozomenus *l.* 1, *c.* 14. Millen, ſive Milleſium, quem Nicephorus *l.* 8. *c.* 37. Millam vocat, cujuſdam oppidi in Perſide Epiſcopum, poſtquam multa perpeſſus fuiſſet, nec Chriſtianam religionem ſuaſiſſet, dira incolis imprecatum diſceſſiſſe e civitate: rationem reddit Auguſtin. relatus *in c. finali* 7. *q.* 1. Etiam cum viderent ſe gregem idomitum habere, animo & corpore ceſſerunt Martyrius Antiochenus Epiſcopus, teſte Nicephoro Calixto *l.* 5. *c.* 10. & Narciſſus Hieroſolym. Epiſcopus, referente Nicephoro Gregora *lib.* 5. 6. *&* 7. Nec ſecus apud noviores Græcos Coſmas, Theodoſius, Arſenius, Greg. Athanaſius, & Joannes Sede CP. ceſſerunt ob eandem cauſam, ac Theodoſius, quod Alexium Imperatorem ab inceſtis nuptiis revocare non poſſet. Zonaras *in Alexio Comneno.* Et ſane cum nemo ad actus inutiles obligetur, non eſt, quod eo in loco Paſtor remanere cogatur, in quo inutilem operam ſit impenſurus: quod procedit, cum nulla ſpes correctionis adeſt, ut ait Innocentius in præſenti, & exponit Franciſcus Hallierius *in vindiciis cenſuræ Pariſ. l.* 3. *c.* 3. §. 1 *fol.* 307. Etiam malitia plebis præſtat cauſam renunciationi, cum populus pacifice non recipit Prælatum ſuum, *can.* 37. *Apoſtol.* ut contigit Maximiano Bagajenſi Epiſcopo, qui cum ex Donatiſtarum ſchiſmate converſus ad Eccleſiam populus eum non recepiſset, ipſe Epiſcopatu ceſſit, ut refert D. Auguſtinus *l.* 2. *contra Creſcon. c.* 43. Hujus etiam abdicationis non abſimile exemplum refertur in actis Epheſinæ Synodi, de prædicto Euſtachio Pamphiliæ Metropolitano, qui ob duritiem plebis ab Epiſcopatu ſe abdicavit, verba ſunt: *Ubi a quibuſdam turbatus eſt, in ſolicitudines inexpectatas incidit, & cum præ multo otio pondus curarum ſibi impendentium ferre non eſſet aſſuetus, nec valeret convicia inſidiantium repellere, ceſſionis ſuæ obtulit libellum.* Aliud exemplum refert Juſtelus *in notis ad can.* 88. *Eccleſiæ Africanæ.* Tandem aliam cauſam aſſignat Innocentius, propter ſcandalum videlicet, quæ juris rationi valde conſona eſt, cum propter ſcandalum vitandum plura permittantur, quæ alias non permitterentur, *c. cavendum* 10. *q.* 3. *c. nolite* 11. *q.* 3, *c. ad aures, de temporib. ordin.* plura cumularunt Becanus *in* 2. 2. *D. Thomæ, tr. de ſcandalo, c.* 27. Salgado *de retent. bullar. c.* 4.

CAPUT XI.

a Idem *Epiſcopo Faventino in Archiepiſcopum* b *Ravennat. electo.*

POſt c translationem tuam ad Eccleſiam Ravannat. cum dil. fil. Præpoſitus, Canonici, Abbates & Primicerii Faventin. totuſque civitatis Clerus, ſicut per litteras eorumdem accepimus in dilectum fil. I. Presbyterum Canonicum Favent. liberam eligendi auctoritatem unanimiter contuliſſent, ipſe ſancti Spiritus gratia invocata, dil. fil. J. Sancti d Fridiani Lucan. Canonicum, olim Epiſcopum e Saxon. in Favent. Epiſcopum poſtulandum elegit circumſpecte, qui primo Canonicus, & poſtea Præpoſitus in Favent. Eccleſia fuit laudabiliter converſatus, ex quo multiplicia ſperantur eidem Eccleſiæ commoda profutura. Porro a dilect. fil. S. Fridiani Priore ſuper hoc requiſito, & obtento conſenſu; Præpoſitus, & alii ſupradicti poſtulationem eandem approbari a nobis humiliter petierunt. Verum poſtulationi hujuſmodi videbatur Concilii Conſtantinopol. capitulum prima facie obviare, in quo ſtatutum eſſe dignoſcitur, ut quicumque de Pontificali dignitate ad monachi vitam, & pœnitentiæ locum deſcendebat, nequaquam ulterius ad Pontificatum reſurgat. Unde contra dictum Concilium, cum ſit unum ex f quatuor principalibus, quæ ſicut quatuor Evangelia Catholica Eccleſia veneratur, nullatenus videbatur eadem poſtulatio g admittenda. Cæterum ſpeciales quidam caſus inveniuntur, in quibus prædicto Concilio non obſtante, is qui vitam monachalem elegit, licite rurſum poteſt ad Epiſcopatum aſſumi. Si enim quiſquam perſecutoris rabie ſæviente, vel præpediente invaletudine corporis, cum proficere nequeat in regimine paſtorali, de ſuperioris auctoritate ad monaſticam vitam deſcendat, perſecutionis, vel ægritudinis impedimento ceſſante ad Epiſcopalem reſurgere poterit dignitatem. Item ſi quis propter litteraturæ defectum, ne tamquam cæcus cæco ducatum præbeat, locum regiminis auctoritate Ap. deſerendo, ad otium ſe contulerit monachale, ac per exercitium lectionis, ſcientiæ repererit margaritam, proculdubio poterit denuo vocatus ad Cathedram reaſcendere paſtoralem. Rurſus ſi quis cupiditate parentum, eo tamen penitus ignorante, fuerit Epiſcopatum adeptus, & hoc comperto Epiſcopatum ipſum de licentia ſuperioris dimittens, obſervantiam elegerit regularem, etſi ad Epiſcopatum eumdem redire poſtmodum nequeat, juxta canonicas ſanctiones, ad alium tamen licite poterit reaſſumi. Quamquam autem in his, & conſimilibus caſibus, is qui Epiſcopatu dimiſſo monaſticam vitam elegit, reſurgere valeat ad officium paſtorale; nihil tamen in his caſibus contra præſcriptum intelligitur Concilium attentari; quod in eo loquitur caſu, cum propter aliquod crimen Epiſcopatum quis deſerens, ad vitam monaſticam pœnitentiæ cauſa deſcendit. Unde quidam in eo caſu loqui dixerunt capitulum ſupradictum, cum quis pro crimine, de quo convictus fuerat, vel confeſſus, ab Epiſcopali dignitate depoſitus in monaſterio extitit ad pœnitentiam agendam incluſus; vel cum aliquis propter grave crimen, pro quo Epiſcopatum retinens pœnitentiam digne agere non valebat, deſcendendi obtenta licentia vitam monachalem elegit: aliis aſſerentibus ſic intelligendum eſſe præſcriptum capitulum, ut per ſe reſurgere nequeat, id eſt repetere quaſi debitum, quod tali modo dimiſit, quamquam eligi poſſit, præſertim ſi locum tantum, & non ordinem reſignavit. Cum ergo nobis plene conſtare nequiverit, ob quam cauſam prædictus I. olim Epiſcopatui ceſſerit, cum in veſtris litteris ſuper hoc tranſmiſſis eidem hoc ſolummodo exprimatur, quod nos litteris ſuper ſua reſignatione receptis, ejus propoſitum in Domino commendantes, quod temporali honori ſalutem animæ præponebat, eundem abſolvimus ab honore ſolicitudinis paſtoralis: quamquam per quemdam S. Fridiani Canonicum nobis nuperrime ſit ſuggeſtum, quod idcirco dictus I. cedendi licentiam poſtulabat, quod ad notitiam ejus pervenerat, quod quidam parentes ipſius, ut eligeretur in Epiſcopum, quædam dederant, licet pauca: f. t. præſ. auct. m. quat. ſuper his diligentiſſime veritate inquiſita, ſi tibi conſtiterit, quod propter aliquam ex præmiſſis cauſis, ſeu conſimilibus idem I. Epiſcopatui ceſſerit memorato, tu auctoritate noſtra, ſublato cujuſcumque contradictionis & appellationis obſtaculo, dummodo neceſſitas, vel utilitas id expoſcat, licentiam ei tribuas accedendi ad regimen Eccleſiæ Favent. Maxime ſi veritate ſubnititur, quod tam præfati Præpoſitus, & Canonici Favent. quam Prior & Capitulum S. Fridiani nobis ſuis litteris expreſſerunt, quod videlicet dictus I. loco tantummodo ceſſerit, & non ordini, vel etiam dignitati. Tunc enim eſſet vehementiſſime præſumendum, quod non propter crimen ab ipſo commiſſum, ſed cauſa pœnitentiæ peragendæ ad vitam migraverit regularem, præſertim cum Ap. Sed. poſt ceſſionem multo minus, quam ante permiſiſſet eidem tali crimine irretito in Pont. ordine miniſtrare. Alioquin cum durum nimis exiſteret, contra tam ſolemne Concilium hujuſmodi poſtulatiouem admittere, Præpoſito & Canonicis memoratis injungas, ut aliam perſonam idoneam ſibi eligant in Paſtorem.

NOTÆ.

1 a IDem H.) Ita etiam legitur in tertia collectione, *ſub hoc tit. c. fin.* Faventia celebris civitas eſt Italiæ, in octava regione: illius meminerunt Appianus *l.* 1. *de bello civili*, Merula *in antiq. Galliæ Ciſalpin. c.* 3. Capitolinus *in vita Ælii Imperat.* jam primis Eccleſiæ temporibus Epiſcopali Cathedra fuit decorata, ut ejus Eccleſiæ hiſtoriam, & Præſulum ſeriem tradens refert Ughellius *t.* 1. *Italiæ ſacræ, fol.* 512. In præſenti reſcribit Innocentius Hubaldo, qui ex Epiſcopo Faventino fuit in Archiepiſcopum Ravennat. translatus; quam translationem admiſit Innocentins III. anno 1208. ut refert Ughellius *t.* 1. *Italiæ, fol.* 375.

b *Ravenat.*) De Eccleſie Ravennatenſi egi *in c. bonæ* 3. *de poſtul. Prælat.*

2 c *Translationem.*) Hujus textus hiſtoria ex ſcriptoribus illius ſæculi petita ſic ſe habet. Mortuo Theodorico Faventino Epiſcopo anno Chriſti 1203. Hubaldus in ejus locum ſuffectus fuit, qui cum vix per integrum annum eam Eccleſiam rexiſſet, in Archiepiſcopum Ravennat. poſtulatus fuit: poſt ejus translationem, cum Capitulum, & Clerus Eccleſiæ Faventinæ de ſubſtituendo Paſtore tractarent, ſuper electione compromiſſum fecere in Joannem Canonicum ipſius Eccleſiæ: ille virtute compromiſſi elegit Joachimum Epiſcopum Lunenſem, demum Canonicum regularem S. Frigidiani, diœceſis Lucanenſis: Innocent. III. hujuſmodi electionem, ſeu poſtulationem non admiſit, immo reprobavit, affirmans ex Concilii Conſtantinop. decreto non licere eum, qui ex Epiſcopali culmine ad vitam monaſticam ſe tranſtulit, iterum eligere in Epiſcopum, aut Eccleſiæ ſeculari præficere: quare prædicto Hubaldo Faventino Epiſcopo in præſenti epiſtola reſcribit, ut inquirat, an pœnitentiæ cauſa, ſeu potius devotionis gratia vitam monaſticam Joachimus profiteretur. Hactenus noſtri textus caſus; exitus autem controverſiæ apud Hiſtoricos non reperitur, facile tamen ſuadetur; ipſum Joachimum obtinuiſse.

3 d *S. Frigidiani.*) De hac Eccleſia regulari egi *in c. cum cauſam* 27. *de elect.*

e *Suxon.*) Legendum eſt *Sarcanenſem*, non *Sartanenſem*, ut legitur in Decretalibus: nec hoc contrarium eſt hiſtoriæ ſupra relatæ, ubi dixi Joachimum Epiſcopum fuiſse Lunenſem; nam idem eſt Epiſcopatus Lunenſis, ac Sacranenſis, & ejus Præſul appellatur Lunenſis, & Sarcanenſis. Luna enim in confinio Liguriæ, in Italia, ampla civitas fuit, ex cujus ruderibus, & fragmentis vicinum oppidum Sarcana dictum, ejus incolæ conſtruxerunt, & Innocentius III. ob aeris intermperiem in Sarcanenſem urbem ſe tranſtulit, & inde Epiſcopus, aut Lunenſi, ab antiqua civitate, aut Sarcanenſis cognominatur. Latius hujus translationis hiſtoriam refert Ughellius *t.* 1. *Italiæ, pag.* 893.

4 f *Ex quatuor.*) Licet Concilium Conſtantinopolitanum referat inter quatuor Concilia œcumenica *c. ſicut*, 9. *d.* & ejus mentio fiat *in c. quod ſuſpecti* 3. *q.* 15. *c.* 1. *d.* 1. & aliis auctoritatibus relatis ab Antonio Auguſtino *in ep. l.* 5. *tit.* 11. *&* 16. Tamen canon, cujus mentio fit ab Innocentio in præſenti, non reperitur in prædicto Concilio Conſtantinopolitano: extat tamen in Concilio Conſtantinopol. a Focio Patriarcha celebrato ſub Joanne VIII. præſentibus Pontifieis Apocriſiariis, in templo Sapientiæ, cujus tantum extant tres canones apud Balſamonem, in quorum ſecundo ita cavetur: *Etiamſi hucuſque nonnulli Antiſtites, qui ad monachorum habitum deſcenderant, ut in Epiſcopali faſtigio manerent, vim adhibuerunt, & cum hoc facerent, neglecti ſunt; ſancta tamen, & univerſalis hæc Synodus hanc negligentiam quoque corrigens, & ad ritus eccleſiaſticos hanc inordinatam actionem redigens, ſtatuit ut ſi quis Epiſcopus, vel aliquis alius ex Pontificali dignitate voluerit ad vitam monaſticam deſcendere, vel pœnitentiæ locum implere, ne amplius Antiſtitis dignitatem uſurpet; monachorum enim profeſſio ſubjectionis, & diſcendi cupiditatis rationem habet, non autem doctrinæ, vel Primatus; nec alios paſcere ſed ipſos paſci profitentur; & ideo, quemadmodum prædictum eſt, decernimus, ut nemo eorum, qui in Epiſcopalem, Paſtorumque catalogum relatus eſt, ad eorum qui paſcuntur, & agunt pœnitentiam, locum ſe demittat. Si quis autem hoc facere auſus fuerit poſt denunciationem, & declarationem hujus editæ ſententiæ, ipſe qui ſe ipſum Epiſcopali gradu privavit, non amplius ad priorem, quam factis deſpicatui habuit dignitatem revertetur.* Hactenus textus, juxta editionem Balſamonis: aliter habetur apud Gratianum *in c. hoc nequaquam* 7. *q.* 1.

5 g *Poſtulatio admittenda.*) Sed licet difficilis judicetur a noſtro Innocentio diſpenſatio in Concilii Generalis ſanctione; tamen non negat poſse in eo Pontificem diſpenſare, quia certum eſt, etiam in prædictis quatuor Conciliis Generalibus Romanum Præſulem diſpenſare poſse, ut probant Marcus Antonius *l.* 2. *inſtit. tit.* 6. *n.* 334. Sanchez *de matrimon. l.* 2. *diſp.* 40. *n.* 3. Fragoſo *t.* 2. *de regimine, l.* 1. *diſp.* 1. §. 9. *n.* 135. Covarruv. *l.* 2. *de matrim. c.* 6. §. 9. Late Bruno Chaſsaing. *de privil. reg. t.* 1. *propoſito.* 4. Nec contrarium docet Zoſimus Pontifex *in c. contra* 25. *qu.* 1. in illis verbis: *Contra ſtatuta Patrum condere aliquid, vel mutare, nec hujus quidem Sedis poteſt auctoritas.* Nam præterquam in epiſtolis Zoſimi, a quibus ſe tranſcripſiſse illum textum teſtantur Gratianus, & Ivo Carnot. non reperiuntur prædicta verba; reſpondendum eſt, textum illum eſse accipiendum de canonibus, qui aliquid juris naturalis, aut divini continent, in quibus nec Sedes Apoſtolica diſpenſare valet: ita textum illum accipiunt Tuſchus *littera P, concl.* 49. *n.* 54. Morla *in Emporio, tit.* 1. *q.* 2. Roa *de juribus Princip. p.* 2. *n.* 30. Barboſa *l.* 1. *juris eccleſ. c.* 2. *n.* 36. Rouſselius *in hiſt. juris Pontif. l.* 1. *c.* 7. *n.* 8. quo etiam modo exponunt textus *in c. violatiores, c. prima ſedes, c. quæ ad perpetuum, nulli fas, c. a ſanctis*, 25. *q.* 1. *c.* 3. *de bigamis non ordin.* Unde cum in hoc textu agatur de prohibitione juris eccleſiaſtici meri, ideo docet Innocentius III. in ea poſse Pontificem diſpenſare.

COMMENTARIUM.

PRo hujus textus expoſitione ſciendum eſt, olim in Eccle- 6 Exponitur c. hoc, 7. q. 1.
ſia permiſsum non fuiſse Epiſcopis gregem ſuum deſerere, & vitam monaſticam profiteri, *c. ſuggeſtum, c. ſciſcitaris* 37. *c. ibi adunati* 49. 7. *q.* 1. poſtea tamen illis permiſsum fuit vitam regularem ambire, *c. ſicut*, ibi: *Regulari mutatione*, 7. *q.* 1. *c. licet, de regularib.* docent D. Th. 2. 2. *q.* 185. *art* 2. Sotus *l.* 1. *de juſtitia, q.* 2. *art.* 1. Suarez *de religione t.* 3. *l.* 1. *c.* 20. *n.* 2. Pariſius *de reſignat. benefic. l.* 1. *q.* 3. *n.* 52. Vaſquez 3. *p. in* 3. *diſp.* 242. *cap.* 7. Dartis *ad* 69. *d.* inde dubium fuit ortum, utrum Epiſcopus regularem vitam profeſsus, poſset ad Eccleſiæ regimen iterum reaſsumi? Et non valere in Epiſcopum eligi probatur *in d. c. hoc nequaquam*, 7. *q.* 1. Contrarium tamen, poſse ſcilicet monachum in Epiſcopum eligi, jam probavi *in c. cum monaſterium* 13. *de elect.* Quare pro interpretatione textus *in d. c. hoc*, varia adduxerunt Turriſcremata, Archidiaconus, & Barboſa *ibi*; ſed illis omiſſis; diſcrimen eſt conſtituendum inter Epiſcopum, qui majoris perfectionis gratia quietem, & ſolitudinem monaſticam amavit; & inter eum, qui pœnitentiæ peragendæ cauſa detruſus fuit in monaſterium. Primus raſsumi valet in Epiſcopum, ſecundus vero perpetuo in monaſterio manere debet: de quo accipiendus eſt canon Concilii Conſtantinop. relatus *in d. c. hoc.* Quam interpretationem præſenſerunt Angelicus Præceptor *d. art.* 1. in illis verbis: *Si vero aliquis propter culpam ſit ab Epiſcopatu depoſitus, & in monaſterium detruſus ad pœnitentiam peragendam, non poteſt iterato ad Epiſcopatum revocari. Unde dicitur* 7. *qu.* 1. *Præcipit ſancta Synodus, ut quicumque de Pontificali dignitate ad monachorum vitam, & pœnitentiæ deſcenderit locum, nequaquam ad Pontificatum reſurgat.* Innocentius III. *in præſenti*, ibi. *Nihil tamen in his contra præſcriptum intelligitur Concilium attentari, quod in eo loquitur caſu, cum propter aliquod crimen Epiſcopatum quis deſerens, ad vitam monaſticam pœnitentiæ cauſa deſcendit.* Illuſtrant Gibaliuus *de clauſura diſp.* 3. *c.* 2. §. 7. *n.* 39. Franciſcus Hallierius *de hierarch. Eccleſ.* §. 4. *in fine, pag.* 290. Hæc vera ſunt, & ſacris canonibus conſona: nam etſi qui devotionis cauſa relicto Epiſcopatu in monaſterium ſeceſſit, ut olim plures fecerunt, quos referunt P. Dam. *in ſuis ep.* Leo Oſtienſ. *in chr. Caſſin. l.* 2. *c.* 17. ibi: *Eodem tempore Adelpertus Sclavorum Epiſcopus, relicto Epiſcopatu ex licentia Romani Pontificis ad hoc monaſterium venit:* iterum in Epiſcopum eligi poſſit; tamen qui ex gravi crimine in monaſterio detruſi fuerant, ſive Epiſcopi, ſive laici, iterum ad honores Eccleſiæ promoveri non poterant, ut probavi *in c.* 1. *de bigam. non ordin.* Tamen pro vera interpretatione dicti capitis *hoc*, ſciendum eſt, eum canonem falſo Concilio CP. tribui a Phocio, ſeu potius eo proponente, editum fuiſse contra Ignatium, quem renunciare ipſe Phocius compulerat, & in Monaſterium quaſi pœnitentiæ peragendæ cauſa detruſerat. Unde ut nulla ſpes reſtitutionis illis maneret, curavit eo canone ſtatui, ut quicumque de Pontificali dignitate ad monaſticam vitam deſcenderet, non poſse iterum ad Pontificatum promoveri. Latius proſequitur ipſius canonis hiſtoriam Chriſtinaus Lupus in Scholio ad idem Concilium, *t.* 2. *c.* 13.

CAPUT XII.

Idem *in Concilio* a *Generali.*

QUidam cedendi licentiam cùm inſtantia poſtulantes ea obtenta cedere prætermittunt. Sed cum in poſtulatione hujuſmodi, aut Eccleſiarum commoda, quibus præſunt, aut ſalutem videantur propriam attendiſſe (quorum neutrum ſuaſionibus aliquorum quærentium quæ ſua ſunt, ſeu etiam levitate qualibet nolumus impedire) eos ad cedendum decernimus compellendos.

NOTÆ.

1 a GEnerali.) Lateranenſi videlicet, *c.* 28. de quo egi *in c.* 1. *de ſumma Trin.* Etiam reperitur hic textus *in c.* 1. *hoc tit. in* 4. *collect.* unde juſte refellit Hallierius *de hierarch. Eccl. art.* 1. *in fine, pag.* 220. Cellotium, qui hunc canonem ex corpore Gratiani expendit, cum in integro Decreti volumine non reperiatur, nec ſeries temporum Innocentii, & Gratiani id patiatur.

b *Propriam.*) Ex his verbis deducit P. Suarez *t.* 8. *de relig. l.* 2

BIBLIOTECA CENTRAL

lig. l. 3. c. 16. n. 7. non tantum ob cauſam publicam verum etiam ob privatam, poſſe R. Pontificem licentiam cedendi Epiſcopis concedere, quia vinculum matrimonii ſpiritualis inter Epiſcopum & Eccleſiam contracti abſolute juris divini non eſt.

COMMENTARIUM.

3 Concluſio refertur, & probatur. EX hoc canone talis deducitur aſſertio: *Qui petiit licentiam cedendi, ex quo illam obtinet, cedere compellitur.* Probant textus *in c. quam periculoſum, 7. q. 1. c. ex tranſmiſſa 11. in præſentia, hoc tit.* Innocentius noſter *l. 3. ep. 240. Nec liberum ſit ſuæ voluntatis arbitrium, in ſuperioris judicium jam tranſlatum; quia frequenter nobis illuderetur a ſubditis, ſi deambulatoria eſſet ſubjectorum voluntas, ad examen conditionis noſtræ delata.* Ivo Carnotenſis *ep.* 131. ibi: *De presbytero qui Eccleſiam quam regebat, nulla cogente neceſſitate in manu tua refutavit.* Et ibi: *Juſtum eſt, ut in judicio, quod de ſe judicavit, permaneat.* Illuſtrant ultra congeſtos a Barboſa in præſenti Majolus *de irregul. lib. 3. cap. 6.* Suarez *de relig. libr. 1. cap. 16.* Petrus Greg. *lib. 17. ſyntagm. c. 17.* Cevallos *communium opin. q.* 283. Boſquetus *ad Innocentium l. 3. ep. 140.* Lotherius *tom. 2. de re benefic. l. 3. cap. 17. num.* 34.

4 Hæc aſſertio ita illuſtrata difficilis redditur ſequenti conſideratione; nam in omnibus fere actibus humanis re integra pœnitentiæ locus eſt; unde vendenti ſervum ut manumittatur, ante diem manumiſſioni præfixum licet pęnitere, *l. 1. & ult. C. ſi mancipium, l. mancipia 8. C. qui ſine manumiſſione*: & cedendi bona ſua, ante eorum venditionem pęnitere licet, *l. 3. ff. de ceſſione bonor. l. 2. C. qui bonis cedere.* Neç ſolum in his actibus civilibus, verum & in eccleſiaſticis pœnitentiæ locus eſt, ut in caſibus decisis *in c. perpetuo 6. c. nulli 8. de elect. l. 6.* ergo illi etiam, qui petiit licentiam cedendi, ante renuntiationem proprii beneficii licet pœnitere. Accedit, nam in Curia Romana, & ejus ſtylo ita obſervari teſtatur poſt Mandoſium & Cevallos Lotherius *d. c. 6. nu.* 34. Augetur etiam hæc difficultas ex eo, quia renuntiandi facultas ſemper conceſſa intelligitur in favorem illius, qui renuntiare cupit, *c. 2. c. niſi 10. hoc tit.* ac proinde nemo renuntiare cogitur. D. Gregorius *l. 2. ep. 41. ad Anatolium.* Sed cuilibet licet juri pro ſe introducto renuntiare, *l. penultim. Cod. de pactis*, cum vulgatis: igitur illi, qui petiit licentiam cedendi, licebit pœnitere: Augetur tandem hæc difficultas *ex c. niſi 10. hoc tit.* in illis verbis: *Quia vero in poſtulando &c.* in quibus deſideratur perſeverantia in renuntiatione petita: igitur ſi pœniteat, non cogetur beneficio renuntiare.

5 Ratio decidendi. Quia dubitandi ratione minime obſtante vera eſt prædicta aſſertio, cujus ratio ex eo provenit, quia variatio maxime in perſonis eccleſiaſticis prohibita eſt, *cap. cum autem 24. de jure patron. c. publicata 58. de elect.* regula *Mutare, de regul. juris in 6.* cum in viro variatio lęvitatis nota ſit. Seneca *ep.* 35. ibi: *Mutatio voluntatis indicat animum nutare.* Quæ variatio maxime deteſtabilis eſt, cum ex ea ſequitur ſuperioris illuſio, *c. 1. de appellat. in 6. l. 1. C. de appellat. l. ultima, C. ne quid in loco publico.* Unde qui aliquem poſtularunt in Prælatum coram ſuperiore, non poſſunt a poſtulatione diſcedere, *c. bonæ 4. de poſtulat. Prælat.* Unde cum in præſenti caſu, qui renuntiare volebat, jam petiiſſet licentiam cedendi a ſuperiore, non poteſt poſtea cum ejus illuſione, & deciſione pœnitere. Accedit, nam aut cauſa ceſſionis vera fuit, vel falſa: ſi vera, renuntiare cogendus eſt, cum idoneus Eccleſiæ non credatur; ſi falſa, in pœnam quia eam ſimulavit, & falſas preces propoſuit, privandus eſt ipſa Eccleſia, renuntiatione ad effectum perducenda.

6 Diſſolvitur difficultas. Nec obſtat difficultas ſupra expenſa, pro cujus ſolutione diſcrimen eſt conſtituendum inter eos actus, qui a privatorum pendet poteſtate; & inter eos, qui licentia, & ſuperioris auctoritate egent, ut celebrentur. In primis variatio permiſſa eſt, *d. l. 1. C. ſi mancipium, d. l. 3. de ceſſione bonorum*: in illis vero, in quibus ſuperioris auctoritas deſideratur, ne ejus illuſio, ſeu contemptus detur, non ita variatio permittitur; quare cum ad renuntiationem proprii beneficii ſuperioris licentia deſideretur, ea petita non licet petenti pœnitere, ne ſuperior, Pontifex videlicet, illudatur. Nec quod de ſtylo Curiæ expendebamus, adverſatur; quia licet præſens deciſio procedat jure communi attento, & ex ſtricta juris ratione; tamen hodie, attenta communi praxi, licet illi, qui cedendi licentiam petiit, pœnitere, ut teſtantur Cevallos, & Lotherius ſupra laudati. Nec augmentum ipſius difficultatis refragatur; nam licet cuilibet permittatur juri ſuo renunciare; hoc tamen procedit, niſi ex tali renuntiatione ſuperior, qui jam conſultus fuerat, illudatur, *cap. finali hoc tit.* Unde cum in præſenti caſu ſequatur illuſio Pontificis, ſeu Epiſcopi, cujus licentia enixis precibus impetrata fuit, non admittitur renuntiatio etiam juris proprii. Nec tandem adverſatur *in d. c. ſi cum pridem*; nam in eo refertur, nimis diutius Calaritanum Præſulem in impetratione licentiæ ad cedendum permanſiſſe; non tamen ea perſeverantia ut neceſſaria ſupponitur, aut deſideratur.

Adhuc ſuperiori aſſertioni adverſatur textus *in c. lectæ 14. hoc tit.* ubi proponitur Abbatem S. Petri magna ægritudine oppreſſum monachos ſuos ab obedientia ſibi debita abſolviſſe, & Epiſcopum diœceſanum vocaſſe, ut in ejus manibus Abbatiam cederet: poſtea ſaniori conſilio ductus, cedere noluit; quæſtionis fuit coram Honorio III. utrum retinere poſſit prædictam Abbatiam, vel cedere eſſet cogendus? Et reſpondetur, Abbatem retinere poſſe prædictam Abbatiam; ex quo textu expreſſe deducitur, eum qui cedendi licentiam petiit, & pęnituit, cedere non cogi. Pro cujus textus expoſitione ſciendum eſt, quod licet ille, qui petiit licentiam cedendi, ea impetrata non potuit pęnitere; tamen qui adhuc non impetravit, ſed tantum nuntium miſit ad eam impetrandam, poſſe pęnitere, ea adhuc non impetrata, quia non datur eadem ratio illuſionis ſuperioris; quare cum *in d. c. lectæ*, tantum miſiſſet Abbas nuntium ad vocandum Epiſcopum, ut ab eo licentiam impetraret, recte aſſeritur, ea adhuc non impetrata, poſſe pœnitere, & Abbatiam retinere. Juxta hanc etiam doctrinam accipiendus eſt textus *in Clement. unica, de renuntiat.* ubi aſſeritur eum, qui conſtituit procuratorem ad beneficium renuntiandum, poſſe revocare tale mandatum, quia cum adhuc impetrata non fuiſſet pro procuratorem cedendi licentia, recte pęnitentiæ locus eſt. Aliaquæ ad ejus textus interpretationem ſpectant de ſcientia revocationis mandati, adduximus *in c. gratum, de officio delegati.* 7 Exponitur c. lectæ, hoc tit.

Secundo adverſatur epiſtola Synodi Epheſinæ ad Synodum Pamphiliæ, quæ refertur a Balſamone in fine Synodi, ubi traditur, Euſtachium Metropolitanum Pamphiliæ libellum renuntiationis coram Patribus dediſſe; & cum Theodorus in ejus locum eſſet ſuffectus, facti pęnituit; & per negligentiam libellum obtuliſſe aſſerens, reſtitui petebat ad ſuam Eccleſiam. Patres Synodi Epheſinæ reſcripſerunt Patribus Synodi Pamphiliæ, ut honorem & communionem illi ſervarent. Ex qua epiſtola aperte deducitur eum, qui petiit licentiam cedendi, re etiam non integra, poſſe redire ad ſuam Eccleſiam. Huic difficultati ſatisfacit Theodorus Balſamon in ſcholiis ad eam epiſtolam, aſſerendo Patres pietate, & miſericordia ductos, Euſtachio honorem, & communionem Epiſcopi conceſſiſſe; non tamen eum reſtituiſſe loco, & admiſtrationi, nec hoc factum poſſe pro lege univerſali accipi cum a Patribus ex œconomiæ, diſpenſationiſque ratione indultum fuerit; nam juxta ea, quæ hoc commentario adduximus, poſtquam libellus renuntiationis oblatus eſt, aut cedendi licentia petita, non eſt locus pęnitentiæ. 8 Exponitur epiſtola Epheſinæ Synodi.

CAPUT XIII.

Honorius III. a *Majoris Eccleſiæ Sancti Ioannis Decano, & Magiſtro C. Can. Sancti Dionyſii Leodien.*

VEniens ad Sedem Apoſtolicam Joannes Pauper Subdiaconus, in noſtra propoſuit præſentia conſtitutus, quod cum bonæ memoriæ I. Papa prædeceſſor noſter dil. f. Abbati de *b* Emenrode, *c* Trever. Diœc. & majoris Eccleſiæ, ac Sancti *d* Pauli Cantoribus Treveren. ſuis dederit litteris in mandatis, ut eidem I. ſi nihil canonicum obviaret, præbendam in Eccleſia S. Florentii in *e* Confluentia, quam Jacobus Decanus ipſius Eccleſiæ in ejus manibus per ſuas litteras reſignavit, ſub. appel. ob. aſſignarent, eodem Joanne litteras ipſas prædicto Decano, & aliis oſtendente, idem Decanus de reſignatione forte pœnitens, occultavit litteras ſupradictas: demum eidem Joanni præfatis litteris reſtitutis, eas nominatis judicibus, ut exequerentur mandatum Apoſtolicum, præſentavit: cumque judices Apoſtolicum vellent adimplere mandatum, quidam ſe oppoſuerunt Canonici Eccleſiæ memoratæ dicentes Subdiaconum memoratum renuntiaſſe juri ſuo, quod ipſi ex ipſis litteris competebat. Dicto igitur Subdiacono hoc negante, jamdicti Canonici teſtes ad hoc probandum aliquos produxerunt: Per quos cum videretur probatum, Joannem ſe gratiæ Capituli commiſiſſe, duo judicum prædictorum, Cantores videlicet Treveren. ſententialiter decreverunt, eumdem Joannem non poſſe uti de cętero ipſarum commodo litterarum, pro eo quod idem I. ſic adverſarii gratiæ ſe commiſit, propter quod viſus eſt renuntiaſſe juri ſibi ex ipſis litteris competenti. A qua ſententia idem I. appellans, licet etiam antea quam appellaſſet, vigiliam Epiphaniæ proxime præteritam terminum ſuæ appellationis præfixit, ad quam cum idem I. veniret, & nobis, prout ſuperius eſt expreſſum, facti ſeriem enarraret, dil. fil. *f* Petrum de Collemedio, Capellanum noſtrum ſuper hoc ſibi conceſſimus auditorem: ſed cum ejus adverſarius non veniret per duos menſes, & amplius expectatus, nec ullus appareret pro eo ſufficiens reſponſalis, tandem quidam litteras habens ad contradicendum & impetrandum, coram eodem comparuit auditore; qui cum de jure ad tractandam cauſam minus ſufficiens crederetur, auditori prædicto nobis hæc omnia referenti dedimus in mandatis, ut ſuper hoc aliquos de fratribus conſuleret, & in cauſa procederet juxta conſilium eorumdem: ideo ſæpedictus auditor, habito conſilio dil. fr. n. *g* T. ſanctæ Sabinæ Presbyteri Cardinalis, ac etiam aliorum, ſententiam prædictorum judicum ſententialiter juſtitia

exigente caſſavit. Nos igitur ejuſdem Capellani ſententiam ratam, & firmam habentes, vobis per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus revocantes in irritum quidquid inveneritis poſt appellationem ad nos legitime interpoſitam attentatum, ſententia judicum Trever. non obſtante, prædictam præbendam ei Subdiacono, niſi aliud canonicum objectum fuerit, & probatum, quare id non debeat adimpleri, auctoritate Apoſtolica, ſublato appellationis obſtaculo, conferatis.

NOTÆ.

1 a MAjoris Eccleſiæ.) Ita reſtituenda eſt inſcriptio ex quinta compilatione edita ab Innocentio Cironio ubi *ſub hoc tit. cap.* 1. reperitur præſens deciſio. De hac Eccleſia S. Dionyſii nonnulla adduxi *in c. ſignificata, de reſcr.*

b *De Emenrode.*) In ſexta collectione Raymundi legitur *de Emento*, ſed falſo; nam hoc monaſterium de Emenrode, alias de Clauſtro dictum, eſt in diœceſi Treverenſi, ut ex Cæſario notat Cironius *in præſenti.*

c *Trever.*) De hac Eccleſia agemus *c. ſeq.*

d *S. Pauli.*) Legendum eſſe *S. Pauline*, jam notavit Cironius *in præſenti.*

e *Confluentia.*) Urbs celebris inter coloniam & Moguntiam, a fluminibus ibi confluentibus dicta. Guntherus,

Fluminis ex gemini confluxu nomen habentem
Servat aduſque locum.

f *Petrus de Collemedio.*) Qui poſtea fuit Archiepiſcopus Rhotomagenſis, Legatus miſſus in Angliam temporibus Gregorii IX. de quo plura Fratres Sarmat. *t. 2. Galliæ Chriſt. fol.* 586. Chenu *in ſerie Præſulum Rhotomag. n.* 56. 4

g *T.*) Thomæ videlicet de Capua, qui creatus fuit Cardinalis ab Innocentio III. ut refert Ciaconius *in ejus vita.* 5

Pro hujus textus expoſitione repetenda ſunt, quæ adduxi *in c. ſane, hoc tit.*

CAPUT XIV.

Idem *Archiepiſcopo a Treverenſi.*

LEctæ coram nobis f. tuæ litteræ continebant, quod Abbates S. *b* Apri Tullen. quem de converſationis, & vitæ honeſtate commendas, tibi humiliter eſt *c* confeſſus, quod dum adeo grave ægritudine laboraret, quod de vita deſperaretur ipſius, ad cujuſdam tamen æmuli ſui conſilium, de quo ipſe cum non crederet æmulum, confidebat, in quorumdam monachorum ſuorum præſentia excommunicationis ſententia, ſi quam in eorum aliquem protulerat, revocata, eos ab obedientia, in qua ſibi tenebantur, abſolvit, vocato *d* diœceſano Epiſcopo, ut Abbatiam in ejus manibus reſignaret; quod tamen, uſus conſilio ſaniori, non fecit, licet eidem Abbati ſanitati poſtmodum reſtituto, univerſi & ſinguli de conventu obedientiam & reverentiam requiſiti ab eodem in Capitulo promiſiſſent. Idem tamen ſuper eo, quod ſic fecerat, dubitans, a te, quid ſuper hoc ſaluti ſuæ conſuleres, poſtulavit: propter quod tu, cum habito ſuper hoc Juriſperitorum conſilio diverſi diverſa ſentirent, noſtrum conſilium, an idem Abbas ex hoc reſignaverit, requiſiſti. Nos tamen ex tali facto dumtaxat eumdem Abbatem reſignaſſe ſuo regimini non videmus.

NOTÆ.

1 Treveris ubi. a TReverenſi.) Ita etiam legitur in quinta collectione, *ſub hoc tit. c.* 3. etſi Florens *in præfat. ad hunc librum*, credat Auctorem eſſe hujus textus Innoc. III. Treveris, Auguſta Treverorum dicta, Belgiæ primæ Metropolis amplitudine, & dignitate, ſed magis Archiepiſcopali Sede, & Electoratu Imperii commendanda, ad Moſellam ſita eſt: celebratur a graviſſimis Scriptoribus: clariſſimam eam appellavit Imperator Gratianus *in l. 1. C. de profeſſorib. & Med. l.* 11. potentiſſimam, & excellentiſſimam Salvianus *l. 6. de providentia*; opulentiſſimam dixit Mela *l. 3. c.* 2. Ciſalpinarum urbium majorem Zoſimus *l.* 3. Domiciliam Principum Ammianus Marcell. *l.* 15. cujus Primatus hoc antiquo epigramate innuitur:

Accipe Primatum poſt Alpes Trevier ubique.
Quem tibi Roma nova lege dat & veteri.

Plura de ejus origine & amplitudine, necnon Eccleſiæ Primatu congeſſerunt Philippus Berterius *diatrib. 2. c.* 4. Bucerus *l. 1. Belgici Romani, c. 14. & l. 12. c.* 11. Franciſcus Hallierius *de hierarch. l. 4. §. 36. pag.* 631. Fratres Sarmat. *t. 1. Galliæ Chriſt. pag.* 720. Theodorico ſecundo ejus Eccleſiæ Archipræſuli miſſa eſt præſens epiſtola; nam ipſe Archidiaconus ipſius Eccleſiæ creatus fuit Archipræſul anno 1214. & eam Eccleſiam rexit uſque ad annum 1242.

b *S. Apri.*) Ita legendum eſt, non S. Petri, ut legitur in ſexta collectione; quod monaſterium eſt Ordinis S. Benedicti in diœceſi Tullenſi, cujus originem referunt Fratres Sarmat. *t. 4. Galliæ Chriſt. fol.* 69. 2

c *Eſt confeſſus.*) Non auriculari, ſeu ſacramentali confeſſione, ſed publice.

d *Diœceſano Epiſcopo.*) Nam cum hoc monaſterium pareret Epiſcopo Tullenſi, neceſſario Epiſcopi licentia petenda erat, ut renuntiatio valeret, juxta tradita ſupra *in c. admonet.*

CAPUT XV.

Idem a *Agath.* & b *Nicen. Epiſcopis, & Archid.*

DIlecti filii conventus monaſterii S. *c* Vv. de Deſertis, immediate ad Rom. Eccleſiam pertinentis, ſuis nobis litteris intimarunt, quod Abbas eorum ſe ſentiens inſufficientem oneri regiminis Abbatiæ, ceſſit in manibus eorumdem; ipſique dil. fil. f. G. monachum S. *d* Victoris Maſſilien. elegerunt in Abbatem canonice, ſupplicantes, ut eorum parcentes laboribus, & expenſis electionem ipſorum faceremus in illis partibus confirmari. Cum ergo dictus Abbas cedere ſine licentia noſtra nequiverit, nos tam ceſſionem, quam electionem prædictas decernentes irritas, & inanes, diſcretioni veſtræ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus Abbatem ipſum loco ſuo reſtitui faciatis.

NOTÆ.

1 Agatha ubi. a AGath. Integra hæc inſcriptio corrupta eſt in hac ſexta collectione, ſiquidem textus iſte in ea tribuitur Gregorio IX. cum ſit Honorii III. ut ex quinta compilatione conſtat, ubi *ſub hoc tit. c.* 2. refertur hæc deciſio. Agatha perantiqua civitas eſt Galliæ, in provincia Narbonenſi, olim Colonia, cujus meminerunt Strabo *l.* 4. Plin. *l. 3. c.* 4. Mela *l. 2. c.* 4. Ptolomæus *l. 2. c.* 10. Habet Eccleſiam Cathedralem ſuffraganeam Archiepiſcopi Narbon. cujus Præſul olim jus cudendæ monetæ habebat, ut refer Bodinus *l. 1. de Rep. c. ult.* Thediſio ejus Præſuli reſcribit in præſenti Pontifex, de quo plura Fratres Sarmat. *t. 3. Galliæ Chriſt. fol.* 61.

2 b *Nicen.*) Nicea, vel Nicia civitas eſt non longe a radicibus Alpium, a Maſſilienſibus condita juxta Cemeliam. Ptolomæus, *l. 3. c.* 1. Habet Eccleſiam Cathedralem ſuffraganeam Archiepiſcopi Ebredunenſis, cui unita fuit Cathedra Cemelienſis, ut referunt Fratres Sarmat. *t. 3. Galliæ Chriſt. fol.* 785. Boſquetus *in notis ad Innoc. III. l. 1. ep.* 53. Antepelicano ejus Epiſcopo in præſenti reſcribit Honorius.

3 c *Vv.*) S. Tillelmi videlicet, quod monaſterium eſt Ordinis D. Benedicti, a S. Guillelmo Comite Toloſano conſtructum anno 804. ut refert Yepes *t. 3. chron. D. Benedicti, d. anno* 804.

4 e *S. Victoris.*) Eſt etiam monaſterium hoc ordinis D. Benedicti, prope Maſſiliam conſtructum a Joanne Caſſiano Maſſiliæ Presbytero poſtea ditatum variis privilegiis Pontificum, & Regum Francorum, ut referunt Fratres Sarmat. *t. 2. Galliæ Chriſt. fol.* 930.

COMMENTARIUM.

IN hoc textu deducitur, Abbatem immediate ſubjectum R. Pontifici non poſſe ſine ejus licentia propriæ Abbatiæ renuntiare; quod etiam innuitur *in cap. cum venerabilis 7. de conſuetud.* & docent congeſti a Barboſa *in præſenti*, Cironius *in 5. collect. in hoc textu* Tamburinus *t. 1. de jure Abbatum, diſp.* 13. cujus deciſionis ratio provenit ex ſæpe inculcatis *in hoc tit.* nam ut ſupra dicebamus, renuntiatio fieri debet in manibus illius ſuperioris, ad quem electionis confirmatio ſpectat; unde ſi Abbas non eſt exemptus, quia ejus electio ab Epiſcopo debet confirmari, non aliter quam cum Epiſcopi licentia renuntiare valet, *c. Abbas 18. q.* 2. ſi vero eſt exemptus, & immediate Sedi Apoſtolicæ ſubjectus, quia ejus confirmatio petenda eſt a R. Pontifice, ideo tantum coram eo, aut ejus Legato a latere renuntiatio fieri poteſt, *d. c. cum venerabilis, c. ſi Abbatem, de elect. in 6.* hoc autem procedit, ſi jam Abbas non ſolum electus, verum & confirmatus reperitur; ſi vero tantum electus, in manibus Capituli, ſeu eligentium poteſt renuntiare electioni de ſe factæ. Et hoc caſu accipiendi ſunt textus *in c. cum inter R. de electione, c. 2. de in integrum reſtitutione.* 5

TITU-

BIBLIOTECA CENTRAL